


F. K. 80. 7

Z 6
2340

X 2047347

BEATISSIMIS MANIBUS
MEMORIAEQUE SEMPER VICTURAE
REVERENDISSIMI, PERILLUSTRIS ET
GENEROSISSIMI DOMINI
DNI. HEINRICI,
LIB. BAR. A JAGEN /
DYNASTAE IN ROTHAU,
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI
ELECTORIS SAXONIAE CONSILIARII INTIMI
ET CANCELLARII, SUPREMI APPELLATIONUM JUDICII
PRÆSIDIS, ET CATHEDRALIS ECCLESIAE
MARTISBURGENSIS PRÆPOSITI, &c.
SACRUM.
DIXIT PUBLICE
IN AUDIT. COLLEGII MAJORIS PRINCIPUM
MAJORI.
III. NON. AUGUSTI M. DC. LIX.
CHRISTIAN FRIEDERICUS JUNGRENSTEIN.

LIPSIÆ,
TYPIS JOHANNIS WITTIGAU.



PERILLVSTRIBVS ET GENEROSISSIMIS
DOMINIS

DNO. HENRICO, LIBERO BARONI

à SXZESEN / DYNASTÆ IN PBTZKAB /
SCHONFELD ZESSEN ET
GRAPPEN.

DNO. CAROLO, LIBERO BARONI

à SXZESEN / DYNASTÆ IN KÖTZHAB.

SERENISSIMI SAXONIÆ ELECTORIS

CONSILIARIIS INTIMIS, ATQVE COMITI-
BUS EMINENTISSIMIS,

DOMINIS MEIS GRATIOSISSIMIS,

HOC QVALECUNQVE

TRISTISSIMAE QVIDEM NECESSITATIS

SED MAXIME DEBITÆ PIETATIS

ERGA BONORVM OMNIVM VOTIS

DESIDERATISSIMVM

DOMINUM PARENTEM

OFFICIUM

HUMILI DEVOTO QVE ANIMI CULTU

OFFERO

CLIENS OBSEQVENTISSIMVS

CHRISTIAN FRIEDERICUS JANNERENSCHEIN

M. CH. HENRICUS MULLERUS
h. t.
DECANUS
COLLEGII PHILO-
SOPHICI
in Academia Lipsiensi
PARENTALIA

Reverendissimo ac Generosissimo
V I R O

DN. HENRICO
à F R A N Z E S E N
habenda

indicit.



MAJORIBUS nostris à primis
statim hujus Mundi incunabilis hunc morem
fuisse, ut denatorum suorum Parentum,
Filiorum, Conjugum, Cognatorumque
Corpora terræ demandarent, ex sacro edo-
cemur Codice. Patriarchas enim spelun-
cas hereditarias, sepulturæ suorum dedi-
candas argento redemisse, inibique mortuos condidisse; & hos-
ce rursùm à suis relictis, Regesque Israëlitarum à Populo sepultos
fuisse, cum Pentateucho abundè satis Chronicorum attestantur
Paralipomena. Hæc autè propensio non tantum propria Hebræis;
ast aliis etiam Gentibus erat communis, quorum omnium primi,
teste Cicerone, Græciæ Coloni corpora demortuorum terrâ hu-
mârunt. Hinc veteres Romani, cum Posthumium Album, A.
Manlium, & P. Sulpitium Camerinum in Græciam, Leges ab
Atheniensibus petitum, mitterent, huncce ritum ab iisdem edocti
Duodecim suis Tabulis eburneis, omnibus Philosophorum Bibli-
othecis, Tullii iudicio, anteponendis, inseruerunt. Et hoc hu-
mandi jus satis diu obtinuit apud Romanos, donec, juxta Plini-
um, cognovêre, quod corpora humo contacta longinquorum bel-
lorum injuriâ eruerentur: unde nonnullis hæc tanquam melior
animo sententia stetit, ne Cadavera impostherum terræ concre-
derentur, quin potius rogo imponerentur, concremarenturque,
ne olim ea hostium ludibrio petulantiaque exponerentur. Nec
obstat hic nobis Maronis pariter & Nasonis autoritas, quorum
ille cremandorum cadaverum observantiam in Italiâ etiam ante
Urbem conditam viguisse; hic verò sub ipso nascentis Reipubli-
cæ primordio Remum combustioni traditum confirmant; cum
hiscè Poëtis fortean ejulcemodi consuetudinum vigor non aliter
innotuerit. Hujus autem pietatis, quâ Veteres in defunctos suos
propendebant, exercitiùm in nudâ non tantum humatione resi-
debat aut combustione; ast multa honoris insuper indicia mortuis
decernebantur à superstitionibus. At ne multa heic de Indictioni-
bus funebribus, Romanis, Græcis juxta & Gallis usitatis, quibus
Populus per Præconem ad funera Prætoria, Consularia, Censoria,
Triumphalia publicitûs evocabatur; de Osculis morientibus pari-
ter &

ter & mortuis datis; de Lotione & Uncturâ, (quâ præter Ægyptios pollinctorum inventores, qui sale, nitro, cedro, asphalto, melle, cerâ, myrrhâ, balsamis, gypso, calceque mortuorum corpora condiebant; Judæos, Nonno affirmante:

ὡς νόμος Ἑβραίοις Πιλύμδια θέσμα φυλάσσειν;

& Christianos frequentasse, SS. Patrum scripta confirmant;) de Vestitu splendido; de Coronis & Floribus; de Facibus cereis; de Tubarum ac Gingriarum clangore, Neniârumque cantu; de Habitu Moribusque lugentium, aliarumque Ceremoniarum usurpatione inspergam; id tantum de Orationibus Funebribus à Valerio Poplicola, qui primus Brutum, Plutarcho & Halicarnasseo Patronis, pro Rostris laudavit, inventis addere lubet, quod Virtutes atque res prosperè gestæ Illustrium Virorum, Fœminarumque, funeribus per forum ductis, pro Rostrisque collocatis, solemni in Panegyrii de prædicatæ fuerint. Verum enim verò non eo tantum tempore, quo defunctus sepulchro inferebatur, tales dicebantur Orationes; ast alii quoque dies certi erant destinati, quibus iusta mortuis publicè persolvebantur. Præter privatas enim Parentationes, quæ diebus Natalibus, aut Denicalibus Feriis, (cùm familia hominis mortui causâ purgabatur,) in honorem denatorum habebantur, Feralia erant Festa, à Numâ Romanorum Rege Pontificibus commissa, in quibus ab iis, penes quos parentandi jus erat, undecimâ ante Kalendas Martias die, Casaubono Parastatâ, epulæ ad sepulchra ferebantur, atque hæc ratione non tantum Romæ; sed in diversis etiâ Græcorum Urbibus mortuorum Manibus dabantur Inferiæ. Equidem alios quoque fuisse Populos, magnosque & excellentes Viros, qui luctum omnino refugerint, observat Seneca, quando innumerabilia exempla eorum, qui liberos Juvenes sine lacrymis extulerint, atque in Senatum, aut in aliquod publicum officium à rogo redierint, statimque aliud egerint, recenset; & Val. Max. luctum funeris die domestico sacrificio sine lamentatione, sine planctu finitum esse asserit. Nil minus verò non depressiori prudentiâ Viros luctui interdum indulgisse, nec unquam illis tantam ferri & chalybis duriciem circa pectus fuisse, quin Liberos, Parentum aut Amicorum mortem sibi lugendam putârint, præter varia *παράδειγματα* omnes nobis confirmant Legislatores, luctum non tantum è medio non tollentes, quin potius eundem certo modo & tempore circumscribentes. Exinde factum, ut defunctorum Propinqui aut Cognati, ne mœroris & tristitiæ limites transcendere viderentur, si ipsi, tanquam mortuos sanguine proximè accedentes, Majorum more Orationes haberent

haberent funebres, (quod de Tiberio & Appii filio, mortuos Pa-
rentes pro Rostris laudantibus, Suetonius & Livius consignarunt,)
Viris doctissimis hanc demandarint provinciã: quemadmodũ de
funere Virginii Rufi refert Plinius, quod ejusdem virtutes & facta
heroica Cornelius Tacitus, Consul Romanus & Laudator elo-
quentissimus publicè decantaverit. Quæ Sparta postmodum ex
Senatus-Consulto Magistratibus, & ab his sæpius aliis quoque sum-
mis est commendata Viris.

Quapropter & cum Reverendissimus ac Generosissimus Dominus,
Dn. HENRICUS à FRYSEN / Dynasta in Röthau / &c. Serenissimi
Principis ac Domini, Dn. JOHANNIS GEORGII, hujus nominis II. Sacri
Romani Imp. Archi-Mareschalli & Electoris potentissimi &c. Cancellarij &
Consiliarius summus, ex meritis in Ecclesiam, totum Imp. Romanum, Sa-
xoniam Superiorem, Academiam denique nostram nunquam satis depræ-
dicandus, XII. Kalendar. Mensis Quintilis ex Mortalium numero feces-
serit, Vir Excellentissimus atque Præ-Clarissimus Dn. *Christianus Fridericus
Franckensteinus* Historiar. in hac Academiã Prof. Publ. famigeratissimus
huic Summo *ἄνδρῳ ἐν ἀγίοις* degenti Viro justã facere decrevit. Sperat enim
& plane confidit, non ingraturũ fore hoc à pietate profectũ officium Perillu-
stribus & Generosissimis Dnn. Dnn. HENRICO & CAROLO, Baroni-
bus Frisiis, prædicti potentissimi Septemviri Consiliariis eminentissimis, de-
nati Parentis Filiis mœstissimis, quod beatissimis Magni hujus Viri Manibus
exsolvitur, cum alio modo præstita sibi beneficia agnoscere nequeat ipse vel
profiteri: Et alioqui vivos laudare adulationis quandam suspicionem vix
effugit; erga mortuum devoti cultus indicium est. Cum autem Veterib9
non tantum in ipsã Funeratione, Feriis Feralibus, & Denicalibus, (ut ex
superioribus constat;) verum etiam in Novendiali post Funerationem, ut
& promiscuè aliis, modò non atris, diebus parentalia mortuis exhibere licu-
erit, proximus III. Non. Augusti, Augusteo sacer nomini, huic parentatio-
ni dictus est. Hunc igitur Actum Panegyricum ut Magnus Academiæ
nostræ Rector, reliquarum Facultatum ampliff. Decani, harumque omni-
um Professores Publici, Doctores, Licentiatii & Magistri, magnificã suã au-
toritate, dignitate honorificã, frequentique comparitione splendidiorem
reddere, devotæ pietatis, quã *Frisium* prosequuntur *Nomen*, specimen ex-
hibere, tandemque Manibus piè in Domino defuncti Cancellarii, de Uni-
versitate Philuræã, nobisque omnibus optimè meriti, benè precari haud
graventur, pro officii ratione ab omnibus & singulis, eã, quã par est, re-
verentiã, honore & amore, contendo. Nobilissimor. autem atque Politis-
simor. Studiosorum numerum eò frequentiore huic Orationi præsto fu-
turum mihi polliceor, quò eorundem fervorem, vehementemque in ma-
gnorum Virorum Vitas, Virtutesque, tanquam in speculam & exemplar
inspiciendi, illasque pro virili imitandi lubentiam mihi habeo perspe-
ctam. Benè valete. Scribebam in Vigiliis IX. post SS. *Trinitatis Festum*
Dominicæ, Aeræ Redemptoriæ clæ Ioc LIX.

Prelo Wittigaviano.

a
)
:
l
-
k
-
-
i
i
c
-
-
s
s
n
-
-
-
s
el
x
9
x
ut
i-
o-
æ
i-
i-
m
k-
i-
d
e-
s-
i-
a-
ar
e-
m
-
on
m

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

...

fat
cu
N
D
Sp
Re
B
Co
dr
tis
m
fu
ca
So
ac
cu
fe
is
qu
au
m
liu
ju
vi
re
m
ill
at
qu
ex
qu
te
at
ft
el
ta
re
m
in
&
fe
p
R
fe
&





Nsignis non minus gaudii quam mœroris materia at-
que argumentum obvenit nuperè nobis ex die XII. Calendar.
Julii, *Rector Magnifice, Auditores omnium ordinum & dignita-
tum Honoratissimi.* Quippe qui ante hos XII. annos gratis-
simum cœli depositum, *Serenissimum Celsissimumq. Principem ac
Dominum, Dn. JOHANNEM GEORGIUM III. Ducem
Saxonia, Julia, Clivia & Montium, Dignitatis Electoralis hære-
dem, Landgrafium Thuringia, Marchionem Misnia & utriusq. Lu-
satie, Comitem in Marca & Ravensburg, Dynastam in Ravenstein* hinc Provincias at-
tulit, eiq.ue natalis fuit; idem *Serenissimorum Principum Electorum Dni. JOHAN-
NIS GEORGI I. felicissima recordationis & Dni. JOHANNIS GEORGI II.
Dni. nostri Indulgentissimi* administro fidelissimo & multis arduisque in negotiis
Spectatissimo fatalis extitit, & non sine gravi bonorum omnium dolore abstulit
*Reverendissimum Perillustrem & Generosissimum, Dnum. Dnum. HEINRICUM LIB.
BARONEM à SAXESN. Dynastam in Rôthau. Serenissimi Saxonia Electoris
Consiliarium intimum & Cancellarium, Supremi appellationum judicii Præsidem, Catho-
dralis Ecclesie Martisburgensis Præpositum,* Virum de egregio publico longè meri-
tissimum. Itaque ut diximus, in uno eodemque hoc die copiosi tam gaudii quam
mœroris uberrima nobis materia reperitur. Cæterum ut illi satisfacisse opinamur
supplicibus publicè privatimque precibus Deum venerantes, ut hoc salutis publi-
cæ Palladium Principem nostrum clementissimum florentem & incolumem cum
Serenissimis Parentibus servare diutissimè velit: ita non possumus (nisi in ipsam
adeò virtutem ingrati esse velimus) sine acerbissimo dolore recordari ereptum,
cujus laboribusq. & vigiliis ex Serenissimi Principis arbitrio tranquillitas publica &
felicitas innixa, justitia præcipuè exercita & asserta fuit. Finis certè vitæ ejus ut su-
is luctuosus, ita nobis & quibusvis rerum intelligentibus tristissimus extitit, nec
quisquam auditâ tanti viri morte aut non ingemuit, aut statim oblitus fuit. Mihi
autem quandoquidem volente Facultate nostrâ viro ad eum, qui privato altissi-
mus esse potest, dignitatis gradum evecto justa facere decretum est, nihil optabi-
lius fuerit, quam pari orationis genere magnitudinem gestorum meritorumque e-
jus exæquare, quod quia sperare mihi non licet, ut qui potius metuam, ne summæ
viri & Patroni meritisimi Laudes culpâ ingenii deteram, à Vobis, *Rector Magnifi-
ce, Auditores omnium ordinum honoratissimi,* obnixè peto atque contendo, ut si quid
minus aut tenuius, quam pro expectatione vestrà, aut tanti dignitate viri dixero,
illud & solitâ benevolentia atque æquanimitate excusetis, & magnitudini doloris
atque luctus, quo per hunc annum ex non unâ causâ confectus fui, abscribatis. Ne-
que enim aut vana eloquentiæ propriæ persuasione inductus, aut singularis atque
eximie præ cæteris doctrinæ opinione fascinatus ferale hoc officium suscepi, sed
quod ab unâ propemodum post Deum & Principem illustri FRISIORUM gen-
te in hac qualicunque meâ conditione & statu collocatum primùm, inde defensum
atque auctum me agnoscam, pietati & gratitudini meæ, quâ liceret, satisfacere con-
stitui. Quippe beneficiorum, quæ reddere non possis, redhostimentum maximum
est, gratâ mente recordari & conservare memoriam eorum, quorum ex benigni-
tate profluxerint. Statuerem imaginem marmore aut ære fictam, si facultates pa-
terentur: quanquam & hanc, sicut magnificam funeris pompam, forsan generosa
maximi Viri modestia prohiberet. Sed ut vultus hominum ita & simulacra vultus
imbecilla ac mortalia sunt, forma mentis æterna; cujus iconismum rudi penicillo,
& haud scio an satis aptis colorib. certè inemptis ab imperito pictore elaboratum,
sed à summo artifice ipso nimirum *Reverendissimo Domino Cancellario* per rectè &
præclarè facta delineatum hæc vobis semihorula sistet. Qui meus conatus ut vobis,
Rector Magnifice, Auditores honoratissimi, professione pietatis, infirmitatis meæ con-
fessione aut laudatus sit, aut excusatus, etiam atque etiam vehementerque rogo
& obrestor.

Sunt equidem nonnulli, qui referre parum arbitrantur, quo quisque loco, quibus ve sit editus parentibus, persuasi nimirum, quicquid in nobis placere Deo, reipublicæ prodesse debet, id omne à disciplinâ & educatione proficisci vel ipso teste Philosopho: Esse tamen non parum & in patriâ situm & in genere concors & consentiens plurium opinio est, quam veluti naturæ ipsius vocem veneramur. Scilicet terrâ nascentia non æquè benè in quovis proveniunt solo, plurimumque interest, quâ tellure creverit, quâ carptus sit arbore surculus, unde generosum expectas fructum. Frustra educatio ex putri ligno Mercurium fingit, & optima doctrinæ semina infelici mandata agro aut malignè surgunt aut planè intereunt. Patriâ beatissimo nostro Cancellario Hermunduri contigere, gens nostris pariter Romanisque celebrata monumentis, cujus & virtutem suspicit & fidem commendat à prudentiâ non minus quam rectitudine & sinceritate judicii commendatus *Tacitus*, iisque ad ipsam usque Danubii ripam olim extensis domos quoque & villas Romanorum paruisse commemorat non concupiscentibus, cum cæteris arma modo castraque ostendantur, nec ripam transire liceat sine custode. Jure optimo maximo asserere sibi hæc Gens Germanica poterit, quod olim de universis *Frisiorum* legati in Romano theatro dixisse leguntur; *Neminem mortalium armis aut fide ante Germanos esse.* Iraque invicti Romanorum armis Hermunduri tantum abest ut majorum decoxerint virtutem, ut austeritatem quoque illam priscam multâ hætenus literarum miscuerint elegantiam, & non soli amplius Marti, sed Musis quoque & Gratiis litent.

Quod ipsum insignis genii felicitate etiam FRISIO contigit, qui læto satu in lucem editus est in avito hæredio *Kauren*, quod uno Lapide ab *Altenburgo* distat. Sunt qui vervecum in patriâ crassoque sub aère nasci arbitrentur, quæis extra urbes rurique contigit lucem aspicerè. Contra est. Liquidus potius incorruptusque aëris tractus puriore aurâ nascentium corpora imbuit & excipit, & per patentium undique plagarum amœna allabens sinceritatem suam à primo statim ortu ipsis etiam mentibus insinuat. Annum nativitatis M. D. LXXIIIXvum insignem & memorabilem clade & morte suâ fecit *Sebastianus Lusitania Rex* cum maximâ nobilitatis suæ parte in Africâ cæsus, dum speciosiora svadentibus accedens cauta & salutaria spernit consilia. Pater FRISIO nostro fuit *Generosissimus & maximè Strenuus Vir Dn. CAROLUS à Friesen Dynasta in Kauren & Köthau Serenissimi Saxonie Ducis & postea Pro Electoris FRIDERICI WILHELMI Altenburgici consiliarius intimus & Marschallus aulicus, itemq; Districtuum Altenburgici, Eisenbergici & Ronneburgici Præfector atq; Moderator.* Mater Nobilissima & rari exempli fœmina RAHEL ex generosâ Dominorû ab ENDE de domo *Keinâ & Kaschvitz*, profapiâ. Nolo patientiâ vestrâ abuti, *Auditores honoratissimi* & majores paternæ pariter & maternæ recensere stirpis, commemorando avum STEPHANUM, proavum BERNHARDUM, abavum CAROLUM, atavum HEINRICUM FRISIOS inclytos famâ factisque & hunc præcipuè meritis in *Serenissimos Bavariæ duces* illustrem, sed impetratâ clementissimâ missione post multorum annorum stipendia in hac nostrâ Misnia tranquillissimæ senectutis otia prudenter amplexum. Nimirum & ille, ut olim Similis sub Adriano Imperatore, Præfectus Prætorio, eos saltem annos vivere se arbitrabatur, quos extra aulae varia negotia pompamq; & strepitum inter suos sibi que & Deo vacans exegisset. Nec me notore indiget maternæ gentis generosa nobilitas tot insignibus per has provincias affirmata monumentis, nec non pompâ ludorum spectata equestrium. De paternâ gente hoc prætereundum non erat, familiam FRISIORUM longè nobilissimam antiquissimis temporibus in *Helvetiis & Rauracorum* egisse confinio, ubi complura majorum famæ & virtutis monumenta adhuc prostant, quæ nec tempus edax nec longa abolere vetustas potuit. Hic si de Helvetiorum fortitudine & fide, cujus utriusque decus adhuc apud magnates Principesque viros in Germaniâ nostrâ & apud exteros tuentur, sermones cædere vellem, quantus per Deum immortalem dicendi campus mihi aperiretur? Inde jam

jam ante hos quadringentos annos generosa propago in *Hermunduros* translata est, & vicinos *Nariscos*, quos nihil degenerare *Marcomannorum* gloriâ *Tacito* (*Marcomanni* verò eidem pro fortissimis Germanorum memorantur) asserit. Constatq; adeò, in aulâ *JOHANNIS II. Marchionis & Electoris Brandenburgensis*, qui ex Alberto Urso descendunt, vixisse egisseq; *FRISIUM* ante hos quadringentos prope modum annos factis meritisque illustrem. Verum enim verò, oggerat aliquis cum *Satyrice*,

Stemmata quid faciunt, quid prodest deniq; longo

Sanguine censeris, pictosq; ostendere vultus

Majorum, & stantes in curribus Æmilianos,

Et Curios jam dimidios?

Si coram Lepidis malè vivitur.

Antea occupavimus dicere, quod non probentur, qui gaudent majorum tantum adeoque alienæ famæ incumbere, nec suam addunt proavitæ virtutem. Sed tamen *Philosopho* etiam nostro verisimile est, meliores esse eos, qui sunt ex melioribus. Et sapienter judicat ille *Barbarorum Rex minimè barbarus THEODORICUS GOTHUS*, Oportere ex parentum virtutibus prolis judicari successum, eò quod bona certa sint quæ fidem ab exordio trahunt, dum nescit origo deficere, quæ consuevit radicibus pullulare. Nam & cursu perenni fertur fontium vena vitalis, & hanc conditionem sustinent cuncta manantia, ut sapor, qui concessus est origini, nisi per accidentia fuerit forte vitiatum, nesciat rivulis abnegari. Vidit hoc, ut erat prudentiæ & judicii summus, illisque virtutibus ad excelsum evectus fastigium beatissimi Domini Cancellarii genitor, teneramq; ætatem nec in aulam abducere, nec domi relinquere ausus, quod utrobique nõ obstante illic Principis severitate, hinc sanctitate Larium corruptelæ nonnulla suppeteret occasio, & in castissimarum quoque domuum penetralibus vel servulorum improbitas obrepere ignaris, vel ancillarum mulierum blandimenta abstrahere à studiis soleant, à se maluit in Ruthenèum, quod Geræ ad Elistrum est, Gymnasium amandare, ne quid labis contraheret, quæ ab illis primis annis emicabat, generosa præclaræ indolis rectitudo. Habebat nimirum jam dum Ludus ille viros formandæ juventutis & erudiendæ maximè gnaros, quibus nec hodiè destituitur, sed laudem pristinam nomenque & famam non tueretur tantum, sed & amplificat, à mediâq; nocte lumen sibi decusque vendicat. *Plinius* Imperatori optimo planeque incomparabili amicus & minister gratisimus liberos in patriâ potissimum & apud suos discere instituique volebat. Neque enim alibi eos jucundius quam in patriâ morari, aut pudicius contineri, quam sub oculis parentum, aut minore sumtu quam domi erudiri posse arbitrabatur. Hujus consilium secutus videri potuit, dum postquam lubricum illud pueritiæ paulisper excessit, & in lare externo, quod sæpè filiis familiâs perdit difficile est, obsequium & reverentiam majorum natu & meliorum imbibisse visus fuit, revocatum amantissimus genitor privatis deinceps tempore præceptoribus exoliendum commisit. Ibi verò quam de se spem excitaverat puer, prima adolescentiæ spatia ingressus non sustinuit tantum, sed etiam felicitate ingenii & industriâ singulari superavit. Translatus tunc ipse quoque fuit in Electoralem ex Altenburgicâ aulam, & dapibus Principis mensæque ordinandæ, quod officium inter aulica ministeria splendore & dignatione inter prima est, præfectus, Quod factum anno superioris seculi octogesimo octavo, quem ut patribus avisque nostris ita & posteris illa vel ipsi formidanda Oceano clasfis Hispana, Angliæ exitium, Europæ universæ servitium ferens clade suâ notabilem effecit: Documentum scilicet illustre datura, quantopere humana divinis exsuperentur consiliis, & quam sæpè ad id evecta magnitudo, supra quod ascendere posse diffidit, non gradu descendat, sed lapsu præcipitet. Jam cer-

tiora emicabant argumenta generosæ indolis in adolescente, & in illâ succre-
fcntis ætatlæ herbâ maturam atque opimam segetem spondebant virtutum,
prodebatque sese foràs in Generosissimo Domino Cancellario animus magnis
quibusque negotiis par, & vel gravissimis olim oneribus suffecturus, cum ex-
perimentum ejus plenius ut caperet genitor, ceu fuit ingenii solertiâ judicii que
acrimoniâ nulli secundus, ad ea quæ Ratisbonæ Divus Rudolphus II. anno 1593.
indixerat comitia, unâ cum Serenissimo Pro-Electore abiens adscivit sibi co-
mitem, ut & animus ipsius tot curarum mole, quot illi conventus adferre secum
solent, defessus & defatigatus, haberet in quo requiesceret charissimi pignoris
familiarem adspectum & alloquium; Et simul exploraret, nunquid forsan li-
centia loci, & liberioris vitæ potestas & vitiorum occasio, quæ deesse tali tem-
pore nequit, in præceptis abriperent ingenium, ex lubrico ætatis & tot irritamen-
tis voluptatum timido, ut esse solet, ubi ferventior est, amoris parentis nunquam
satis perspectum, Præcipuè verò ut eum Reipublicæ, cui & destinatione pã-
rentis & fatorum providentiâ juvandæ educabatur, jam tum lentâ quod dicitur
manu præpararet. Noverat sapientissimum Romanorum institutum, qui
liberos suos prætextatos adhuc secum in curiam adducebant, quò consultatio-
nibus negotiisque publicis jam inde à tenerâ ætate advescerent. Parem occa-
sionem minori periculo, majori commodo conjunctam istud iter afferebat, un-
de non modicam circa negotia publica cognitionem licebat assequi. Nam
nec ad arcana consiliorum, quæ regi oportet, absque discrimine admittuntur
Principum & legatorum comites, & ea quæ in publico fiunt, omniûq; exposita
sunt oculis & auribus, ut comitiorum ordinem, proponendi modum, consula-
tionum & relationum vicisitudinem, officiorum domus Augustæ differentias,
quæque his similia longè facilius addiscet, promptioresque ad omnia habe-
bit aditus, qui in Principis cujusdam comitatu agens aliquem ex præcipuis ad-
ministris tam arcto contingit propinquitatis gradu. Adde quod insigne ad ma-
gna nitenti adjumentum est, in tam augusto procerum Imperii, quique ab his
ablegantur conventu & noscere, & nosci, ejusque rei plurima illo tempore fa-
cultas & opportunitas suppetit. Toto autem illo quo ista comitia celebra-
bantur spatio compositum jus fasque animi, sanctosque recessus cordis & inco-
ctum generoso pectus honesto ita approbavit Optimo Patri FRISIUS, ut re-
dux eum in ampliora vitæ Academicæ spatia expleto vix dum ætatis anno de-
cimo sexto dimitteret, liberiusque vivendi concederet potestatem. Nondum
sic convaluerat nequitia, nondum sic adversus virtutes conjuratum fuerat, ut
officinæ virtutum in vitiorum scelerumque converterentur palæstras. Nostri
demum infelicitas seculi illam pestem peperit, quæ à tenuibus profecta initiis
& in Balthico mari vicinis primum progenita locis tam latè serpsit, ut immedi-
cabilis nonnullis censeatur, & desperato malo vetent adhibere medicinam.
Non defuere quidem (nec enim placet vetera extollere cum veritatis dispen-
dio) illis etiam temporibus suæ vomicæ, sua quandoque carcinomata, sed pau-
ca & quot in suâ familiâ dolebat & indignabatur Cæsar Augustus. Licebat
sequi consilium Poëtæ, qui non sanabile vulnus jubet ense recidere, ne pars sin-
cera trahatur. Hodiè verò, proh dolor! eò res rediit, ut erectis animis vix con-
cedatur, id quod ingressæ sunt, virtutis & bonæ mentis iter exequi. Malus
bonum malum esse vult, ut sit sui similis. Etiam inviti & reluctantes juben-
tur penetrare se illuc, ubi damni est conciliabulum, noctu ire obambulatam,
suum adimere alteri, ægritudinem parere suis, bellum indicere honestis mori-
bus, illustremque funestare frangendâ imagine gentem. Flagitia hominum,
& in Cyclosum terras deportanda, ubi suis viverent perversis cupidinibus. Sed
redeundum in viam est, unde digredi coegit animo erumpens & pectore justa
in hæc temporum nostrorum propudia indignario. Ubi tanquam ad merca-
turam

turam bonarum artium ventum est ad inelytam Salanam, nequaquam dies per somnum, nox crapulâ & libidine, stentoreisque vociferationibus & vagis discursationibus beatissimo FRISIO fuit transacta, sed assiduè secum meditant, quam ob causam technophyon illud petiisset, judicansque longè turpissimum esse, si rediret inanis, Philosophiæ, illius præcipuè, quæ mores hominum format, & respublicas moderatur, ampla spatia peragrare, nec non sinuosa juris publici privatiq; volumina nocturna pariter diurnâque versare manu institit. Compluribus id sedet animo cacoëthes, ut in amœna scientiarum viridaria ubi pervenerint, umbram potius sectentur, quàm in Sole gestiant & luce conspici. Itaque dum vanissimis & inanisimis subtilitatibus intenti vel literarum syllabarumque apices captant, vel aranearum telas nectunt, ubi exacta non parva pars ætatis est, pro Junone nubem se cum Ixione amplexatos sed serò nimis deprehendunt. Non delectabatur umbraticis istiusmodi studiis generosa FRISII mens, quin potius memor non scholæ discendum sed vitæ, summâ cum alacritate omnique nervorum & ingenii contentione in civilem incumbebat sapientiam, quam tunc *Virgilius Pingizet, Johannes Stramerus Auerbachius, Nicolaus Reusnerus*, quanta Juris prudentiæ lumina & columnina! sitientibus pleno quod dicitur haustu propinabant. Jam consecerat illa nobilissimæ scientiæ legitima spatia, & torum prope quinquennium in illo virtutis omnis & eruditionis emporio exegerat, adeoque lustrum condere parabat, cum ab amantissimo parente domum revocatur. Decreverat etenim ad terras alio Sole calentes mittere tot spectatum illustribus documentis juvenem, non veritus amplius, ne illum deliciarum illecebræ Veneresque locorum transversum abriperent & dementarent, quem tanto temporis intervallo probaverat, & illud adolescentiæ periculosum & præruptum innocenter & inoffenso emensum pede compererat. Ridiculi sumus homines, si inter tot vanitatum & mortalitatis ludibria perpetuam certamq; felicitatem expectamus; Vocant nos undique in amplexum suum molestiæ, & secundissime ferentibus ventis exoritur de repente sævior aliqua procella, quæ portus aut planè eripiat conspectum, aut vela sciindat rumpatque, vel obliquare certè compellat. Nam ecce dum ad iter accingitur, dum valedicere parat suis, & reduci sibi sospites destinat, rebus humanis valedicit parens, & inimica fors omnia ista peregrè abeundi consilia corrumpit, interceditque decreto, cujus executione non quidem splendoris aut magnitudinis plus accessisset beatè defuncto, quippe qui ad summum privati hominis fastigium processerit, plus tamen apud quosdam & hominum præcipuè vulgus opinionis, quam tamen sapientissimus quisque neque fugientem affectat, neque comitantem magnopere æstimat. Accessit ad acerbissimum erepti genitoris dolorem tutelæ onus & molestum & grave, iis tamen, quorum bono geritur, non utile tantùm sed planè necessarium. Reliquerat quippe parens optimus duos ipso minores liberos, quorum aut negligenda cura, quam pietatis leges injungebant, aut relinquendum peregrinationis propositum, quam prudentiæ svadebant consulta. Vicit pietas prudentiam, & vel cum dispendio suo curam minorum & rei familiaris administrationem, quæ ut virtute majorum satis ampla contigerat, ita sedulo indigebat inspectore, in se suscepit. Neque tamen ita se transdidit in illas molestas & multum incommodas occupationes, ut propterea oblivisceretur cum Themide se contraxisse: Quin potius ita sacris ejus operabatur, ut hoc solùm agere diceres; eâ rursus vigilantia solertiâque œconomica regebat negotia, ut alia omnia huic uni concedere curæ viderentur. Atque ita factum fuit, ut neque ex studiorum cultura res familiaris pateretur detrimentum, neque ex hujus curâ studiorum induceretur neglectus. Adeo temporis, quod utraque sibi poscit, recta dispensatio & distributio provida, quam beatissimus Dominus

B

CAN-

CANCELLARIUS in extremâ quoque senectâ constantissimè observabat, quod difficillimum videtur, & propemodum impossibile, facile reddere & expeditum. Quod ignis solet, AUD. HONOR. ut nisi eum ruinâ oppresseris vel extinxeris, quò magis tegitur premiturque, eò fortior violentiorque erumpat, viamque vi faciat: Quod item obstructa solent flumina, ut magno cum impetu, quæ immittuntur cursumque remorantur, disjiciant, saxaque & robora vorticosis contorta gurgitibus convolvant: idem calamitosæ virtuti evenit, splendescit vulnere, viresque majores & incrementa ab obstantibus sumit. Depresserat equidem nimis properatus charissimi genitoris obitus excessam generosi pectoris in beatissimo FRISIO indolem; non oppresserat: incurvaverat, non infregerat erectum animum; Obtexerat fulgidum & prælustre virtutum & civilis prudentiæ jubar, & ceu caliginosâ quâdam involverat nube, nequaquam tamen obscuraverat aut extinxerat. Itaque cum ex sinceri gravitate judicii, æqui rectique ardentissimo studio, prudentis copiâ consilii, promptissimo ad juvandû alios affectu passim innotuisset, certatim opera ejus in dirimendis nobilium familiarum controversiis expetita fuit, ipso quoque Serenissimo Principe non parum sæpe exorato, ut Judicem honorarium discipulantibus (Commissarium passivo vocabulo dicimus,) indulgeret. Quippe nō temere reperiebatur, qui aut leges juraque tam civilia quam provincialia & Saxonica melius nosset, aut rationum momenta appenderet accuratius, aut cognitâ denique causâ pronunciaret incorruptius. Itaque etiam ii, contra quos dederat, non iniquo id ferebant animo, & victores hoc potissimum arbitro superasse gaudebant. Nam cum auctoritatem commodaret impostæ sibi personæ, illam vicissim depositâ quasi personâ comitare temperabat, adeoque nec severitas illi minuebat amorem, nec gravitatem corrumpebat facilitas. Enimverò falluntur, qui superiore loco constituti arrogantiam & asperitatem reverentiam aliorum ali atque revereri putant, quam longè certius securiusque amor & benevolentia conciliat atque continet. Ex eodem fonte profluxit, quod cum abesse contingeret subinde, qui supremo harum provinciarum dicasterio hîc loci assident, Optio illis dabatur sapius & succenturiabatur. Præludebat per hæc minoris quasi ponderis experimenta futuræ ipsius magnitudini fortuna, aut divini veriùs miranda potentia fati, & ad ea struebat gradum, quæ postea cum immortalis sua laude, & incredibili harum provinciarum bono sustinuit, munera. Inter quæ præludia retulerim, quod *illustri ad Muldam Gymnasio inspector* datus à Principe fuit. Noverat nimirum, quam severâ ipse lege jam inde à primis annis in Ruthenéo profecisset, Elector Serenissimus, nec dubitabat, constantem fore & rigidum exactorem disciplinæ, quam proficuum sibi & unicè salubrem ipsemet foret expertus. Et ea sanè est scholarum istiusmodi conditio, ut & calcaribus ad incitandam industriam, & freno ad cohibendam nequitiam plerique opus habeant, quos munificentiâ Serenissimi Principis in spem patriæ inibi sustentat. Utraque autem quomodo rectè & tempestivè adhibeantur, ne aut deprimatur erecta indoles severitate nimia, aut ex laxitate disciplinæ lasciviat, non tantum Præceptorum, verum etiam Inspectorum cura laborque est, & hos quidem auctoritatem, illos industriam, utrosque prudentiam adhibere oportet.

Sed jam Celsissimo Electori gloriosissimæ recordationis propius eum admovebat cœlestis providentia, & destinata provinciis hisce ex tanti Viri industriâ felicitas, postquam anno decimo tercio hujus sæculi supremo Appellationum judicio Assessor datus fuit. Disputant inter sese divinæ & humanæ sapientiæ consulti, nunquid etiam aulica viâ expediat studiis addicto, & pristinis innutrito moribus. Nam & Poëtæ, quam rectè verèque meum non est pronunciare, pietatis in exilium inde ejectæ & tantum non proscriptæ meminere,

nère, & historicorum filii aulae regnum penes invidiam & malevolentiam esse ajunt; Quibus auctoribus fiat, ut sæpè qui sedet potens, aulae culmine lubrico, mox gravi casu decidat. Mirandum itaque non est, si trepidè & cunctanter delatum suscepit officium, ut qui solam obsequii gloriam sibi relictam amplecteretur, Principi summum de se arbitrium datum intelligeret, nec sibi solum sed & patriæ atque Reipublicæ natum se meminisset. Consciis ergò sibi, quod non extorsisset per ambitum, nec ignarus, quod absque superbæ notâ aut contumaciæ recusare non liceret Diis per omnia quam hominibus similioris Principis judicium, humeros supposuit oneri, quod tamen apprimè sciebat, quantum & quam grave foret. Quippe jam ab antiquis temporibus illustrissima domus Saxonica eâ prærogativâ gaudet, ut ab ejus sententiis nefas sit provocare. Quod maximi momenti privilegium huic domui virtutis & Justitiæ acerrimo studio partû hodiè ab exteris nationibus pactionibus & transactionibus ab imperio obtentum fuit. Tantò itaque accuratiore judicii lance expendendas sentiebat, trutinandasque causas, de quibus ubi pronunciatum foret, quo minus executioni daretur sententia, nullum amplius restare noverat appellationis beneficium. Quam castè & integrè in hoc munere versatus sit, quam nihil aut gratiæ dederit aut odio, firmus adversus pecuniam, metu potentiorum inconcussus, quique adeò quam virginem acceperat Astræam, custodiendam sibi religiosè, non corrupendam nefariè, semper cogitaret, injuria virtutum fuerit prolixè commemorare velle. Cujus in jure reddendo sanctitatis documentum hoc accipite longè illustrissimû, *Audite res*. Decesserat statione mortali anno XXIX. vir nec silendus nec dicendus sine curâ CASPAR SCHONBERGIUS, Principis Electoris Consiliarius intimus, cujus ille fidei, prudentiæ, dexteritati, judicio, adde & felicitati, cum aliis non pauca deferret, concedebat omnia, & innitebatur præcipuè; Atque hujus viri morte Præsidis vacare cœperat in honoratissimo isto Collegio locus, ab aliis, dum SCHONBERGIUS abesset, non semel impletus. Eum nec ambienti nec cogitanti FRISIO Serenissimus Elector proprio motu detulit. Ut enim cura Principis egregii est maxima nosse suos, ita sapientissimum sagacissimumque Electoris indulgentissimi animum non prætervehebant dotes, quas numerosas FRISIO superfuderat immensa Dei benignitas. Ejus itaque cum non tantum parem negotiis animum deprehendisset, sed & in plura valere intellexeret, & universæ provinciæ judicia nosset cum suo congruere, redditibus universis recipiendis dispensandisque & ærario harum regionum præfecit eodem illo, quem supra diximus anno vicesimo nono. Quam ille Spartam eâ ornavit sanctitate, eâ administravit industriâ, ut mihi Cætonem illû Romanû reddidisse videretur, in quibus circa ærarium Romanum, cui quæstor præfuit, exquisitâ sollicitudine prædicanda quantumvis copiosa *Platarchi* deficit ubertas. In hoc quoque Collegio jam inde ab anno MDCXXXIII. director ipse quantum curæ operæque impenderit diffusissimis rationibus, silere & prætermittere me præstat, quam in hoc arctati temporis articulo minus quam pro dignitate explicare. Suo præteritû loco reddendum est; Cum certas in *præfecturas* distribuatur omnis hæc regio, iisdem præses & Rector dari assolet, qui & conditionem districtûs illius inspiciat propius, & rationales auctoritate suâ coherceat, prudentiæque & consilio incurrentia subinde negotia dirigat atque expediat. Cumque singulæ subinde singulis, illi clementissimi Principis judicio quadruplex assignata fuit, *Coldicensis*, *Rochlicensis*, *Leisnicensis atque Bornensis*; quibus ille ita præfuit, ut difficillimis temporibus, sollicitudine, curâ, industriâ quantâ fieri potuit maximâ, averteret damna, commoda procuraret. *Romane fidicen lyra* verissimè inquit: Pallida mors æquo pulsat pede Pauperum tabernas, Regumque turres, idque anno hujus seculi tricesimo se-

ptimo liquidò cognoscere quemvis oportuit. *Sanctius consilium* Principis, quod ipsemet Præsides statum reipublicæ universæ & salutem dispensat, atq; ordinat, & velut omnes diffusa per artus Mens agit molem, & toto se corpore monstrat, exhaustum fuerat penitus. Quo tempore qui rebus fessis succurreret, qui labantia sustineret, qui restauraret collapsa, qui ministerium commodaret laboriosissimo quantumvis Principi, quem prudentiæ quoddam delubrum *Tacitus* negat suâ posse scientia cuncta complecti, repertus est FRISIUS. Et ille quidem refugiebat onus, seque indulgentissimo Domino non semel sed sæpius subjectissimè adductis rationem gravissimarum argumentis excusabat, & deprecabatur molem, cui parem se ex modestiâ diffidebat: Sed reluctantem, & quantum debita Clementissimo Electori reverentia permittebat, tergiversantem autoritate denique & præsentis alloquio perpulit Serenissimus Princeps, ut certis conditionibus *ad biennium* addiceret operam, quam volenti Domino ejusq; Celsissimo Filio *in vigesimum secundum usq; annum* præstitit. Sequitur fugientem gloria, sequentem fugit, idemque in reipublicæ dignitatibus evanire videmus. Tot jam documenta industriæ, abstinentiæ, sanctitatis dederat FRISIUS, tot experimentis spectatum erat: illud quantumcunque fortunæ capax pectus, idemque quantumcunque laboribus par, ut nihil tam arduum esset atq; difficile, nihil tam grave atque laboriosum, quin illi expediundo sustinendoq; aptissimus ipse videretur, & quæ alii partitis operis singula, ipse administraret universa. Decefferat generosissimus Dn. WOLFGANGUS à LUTTICHAU, *Cancellarius*, atq; in illum togatæ militiæ principem locum quærebatur qui succederet. Iterum recurrebatur ad FRISIUM. Nec recusare ausus oblatam indulgentissimi Domini gratiam, ne suo plus iudicio tribuere videretur, quam Principis, eâ conditione assensus est, ut quatuor quas dixi Præfecturarum regimen curamq; deponere sibi & abdicare liceret, quod & Principi volenti fuit. Quos in explebilis honorum opumque sitis fatigat, & cum Tantalo mediis in aquis fugientia captant pocula, eorum interminata cupiditas cuncta corripit, unum id studens, non ut à se dignè omnia habeantur, sed ne alius quicquam habeat. Itaq; videas sæpè multos diffusissimis intricatos negotiis plura confundere quam explicare. *Beatissimus Dominus Cancellarius* ut avaritiâ procul & ambitione omnem vitam egerat, ita nunquam fermè aliquid novi muneris suscepit, quin fortunæ partem aliquam remitteret. Nolo patientiâ vestrâ abuti, *Rector Magnifice, Auditores omnium ordinum Honoratissimi*, & recensere, quanto ipse studio à Splendidissimo *Canonicorum Martisburgensium* collegio *Præpositus* ante hos viginti & quod excurrit annos, fuerit electus. Nolo commemorare, quâ gravitate & auctoritate comitatum rexit Serenissimæ Principis ac Dominae, Dominae MAGDALENÆ SIBYLLÆ, quæ illustrissimo Principi ac Dno. Domino FRIDERICO WILHELMO *Saxoni Altenburgico* nunc temporis conjux est, cum eam *Magister Aulae* Anno M. DC. XXXIV. Sponso Serenissimo Domino CHRISTIANO V. *Regiæ in Daniâ dignitatis heredi* sponsam adduceret. Nolo referre, quantâ felicitate Electori nostro Clementissimo Domino JOHANNI GEORGIO II. Celsissimam conjugem Dominam MAGDALENAM SIBYLLAM Brandeburgicam familiâ Byruthinâ & petierit, & pro potestate sibi concessâ *stipulatione solenni pepigerit*. Munera istiusmodi & officia, quanto ambitu, quantâ contentione animi petantur, quantâ solertiâ, prudentiâ, dexteritate obtinenda sint, quam non nisi illustrissimo genere & ingenio, virtute & auctoritate viro tribuantur, vel sola nos pompa Hispano-Gallica, quæ jam per tot menses procerum utriusque gentis, utriusque sexus spes ambiguas, cupidinesque anxias, dum instruitur & adornatur, fatigat, docere abundè potest. In his itaque omnibus non sustinuisse tantum iudicium maximorum Principum, sed

sed & expectationi atque voluntati satisfacisse ejus fortunæ est, quam non nisi
 sapientia & gignit, & moderatur. Atque hæc vel sola sicut justæ orationis ma-
 teriam præberent uberrimam, ita mihi ejus non tam conquirendam copiam,
 quam vestram satietatem refugiendam esse video, *Auditores*, ideòque ad *priva-
 tam* viri summi *vitam* propero, in quâ quidem non minorem se quam in publicâ
 exhibuit. Equidem non paucis accidere videmus, ut partem ex benè ge-
 stâ publicâ gloriam intra larium suorum amittant penetralia. Ita foris cla-
 ros destruit infelicitas domestica, & hoc ipsum luminibus eorum officit, Splen-
 doremque benè & sapienter factorum obfuscatur, quod minus cati aut minus beati
 patres familiâs existere putentur. Longè aliud benigniusque fatum habuit
Generosissimus Dominus Cancellarius. Inter ea quæ præsentis viræ beati-
 tudinem, quantumcumque illa est, absolvunt, nempe benè nasci, pieque mori
 jure merito *bonum* loco medio numeratur *Conjugium*. Jam primum non teme-
 rè ullius gentis, ætatis, ordinis hominem reperias, cujus felicitatem fortunæ
 matrimonii compares. Cum enim lætissimis auspiciis anno hujus seculi pri-
 mo IX. Kal. Septembr. in manum ejus convenisset virgo & gente & mente no-
 bilissima Domina *CATHARINA* ab *EINSIEDEL* de domo *Schvveinsburg*,
 in uno ejus matrimonio totos *quinquaginta octo annos* exegit. *Macrinum* me-
 morat *Plinius* vixisse cum conjugè triginta novem annis sine jurgio, sine offen-
 sâ. *Sylvius Paternus* in agro *Nemausensi* uxori rarissimi exempli monumentum
 posuit, exegisse se cum eâ testatus annos triginta duos sine ullâ animi læsurâ.
 Aliâ *Romanâ* inscriptione *C. Cavius Severus Rutiliam Primitivam* conjugem
 dulcissimam vixisse secum gloriatur annis viginti sine bile. Poterit & huic
 nobilissimæ matronæ inter reliquos sepulcri titulos aliquando & utinam tardè
 elogium simile apponi, tantò futurum splendidius, quantò præstat *Macrini* &
Severi tempora unam conjunxisse, eritque adeò hoc grande solatium fœminæ
 generosissimæ, quod tantum bonum tamdiu tenuerit. Trojæ excidium in
 IX. Kal. Maji, natalem *beatissimi Domini Cancellarii* communiter refertur. I-
 ta unus ille dies ante tot secula severissimè vindicatâ fidei conjugalis violatione
 exiit memorabilis, & superiore ævo protulit virum eâ diuturnitate felicissi-
 mi conjugii positum, quæ nescio an intra aliquot seculorum decursum ulli conti-
 gerit. Vidit de in hoc matrimonio septem omninò liberos, *filios tres, quatuor-
 que filias*. Ex illis primogenitus patrem statim ab ortu destituit, accepto bap-
 tismatis sacramento mox defunctus. Filia quoque natu major Domina *RA-
 HEL FRISIA* primum generoso & Nobilissimo Domino *JOHANNI* à *Ber-
 tisdorf* in *Niederforcheim*, inde fortissimo militum tribuno Domino *JOACHI-
 MO* à *Wislaff* nupta parentis optimi facta anno 1641. anteverit. Conceptum
 ex hujus obitu dolorem renovavit, vulnusq; quod vix obductâ cicatrice coive-
 rat, refricuit erepta filia dulcissima *SIBYLLA*, quæ castæ virginitatis decus glo-
 riosum anno 1653. cœlo secum intulit. Superant adhuc filiæ duæ, Domina
CATHARINA, Generosi & Nobilissimi mariti Domini *STEPHANI* à *Friesen*
 qui Serenissimi Saxonie Electoris gloriosissimæ recordationis Consilia-
 rius fuit, & per Episcopatum Cizensem Præses, obitu viduata, nec non Domi-
 na *CHRISTINA*, nupta Generoso & Nobilissimo Domino *JOHANNI*
GEORGIO à *Schönberg* / *hereditario in Oborn*. Ornant verò magis & il-
 lustrant quotidie atque adaugent generosissimæ familiæ splendorem *Perillustres*
 & *Generosissimi Filii*, Dominus *HEINRICUS* & Dominus *CAROLUS* *Liberi*
Barones à *Friesen* / *Serenissimi Saxonie Electoris Consilarii intimi* & *Comites*, hic e-
 siam *erarii provincialis ejusque redituum director supremus*, beatissimi que parentis
 jam à quatuor annis in isthoc officio successor. Detur hæc venia tenuitati meæ,
 ut religioso potius silentio venerer dotes atque virtutes, quibus jam dudum or-
 bem Germanicum, imò quaquaversum cultioribus populis habitatur, Euro-
 pæum

partim in se convertit Generosissimorum fratrum par incomparabile, quam commemoratione parciore patefaciam, magnitudini earum exprimendae parem me non esse, cum dubitet nemo, nec eidem vel disertissimi cujusquam sufficere eloquentiam. Accessit certe ad prægrandia Magni FRISII in nostram Saxoniam merita, quæ nulla satis prædicabit, agnosceret omnis & confitebitur posteritas, hoc vel præcipuum, quod hos ex se filios patriæ dederit, quorum prudentissimis consiliis, industriam fidelissimam, dexteritate admirandam, salus harum regionum defenditur & conservatur. Firmat roboratque spem publicam nepotum neptiumque ordo lætissimus & longè clarissima indoles, quos virilis sexus tredecim, foeminei sedecim vidit, & post se reliquit ex istis quinque, ex his octo beatissimus Dn. Cancellarius, illiq; ut servatam naturæ lege & ordine Illustris & Generosissimis parentibus sed serius cælo redditis superstites agant diutissimè, digni olim avitarum patriarumque virtutum, digni munerum & officiorum hæredes, divinum numen oramus & exoramus. Eminent jam dum inter eos ut prærogativam ætatis, ita raram ingenii felicitate, profectibusque in hac adolescentiæ teneritudine admirandis Illustris & Generosissimus Dominus CHRISTIANUS AUGUSTUS Liber Baro à Friesen/ & propiore ceu pignore nostrorum pietatem votorum approbat. Interiorem viri summi & domesticam vitam debbam enarrare, ponereque ob oculos mores compositissimos, in quibus & priscam suspiceres gravitatem, nec comitatem & humanitatem desiderares: vultum serenum & placidum, unde quod de Agricola Tacitus, bonum virum facile crederes, magnum libenter; dispositum accuratè diem, laboresque, quos sustinebat in tot diffusis muneribus plurimos, ordine sibi suo succedentes, liberalitatem in egenos, promptitudinem sublevandi calamitosos, & quæ corona omnium virtutum, pietatem erga Deum & in veram religionem constantiam, quam precum assiduitas, verbi divini sedula meditatio, sacramentorum devota usurpatio notam reddiderunt omnibus, quibus vir summus non fuit ignotus. Verum hæc nec in transcurso atq; in hoc contractæ descriptionis exiguo spatio dici prodignitate queunt, & quum in luce publicam, in omnium oculis vixerit, latere paucissimis queunt. Veniendum ad suprema est Viri, si meritorum magnitudo spectetur, immortalitate dignissimi; in quibus observare licuit, quod olim Vespasianus Imperator dixisse memoratur; Imperatorem (atque adeo etiam virum bono publico natum, & in perpetuo rerum actu versatum) stantem mori oportere. Agebatur cum maximè supremum illud Appellationum iudicium, cuius ipse Praeses & Rector ultra XXX, assessor autem ultra XLVII. annos fuerat, cum XVI. Kal. Julii matutinus ut assolebat, ad illud sese conferre, & muneris commissi pararet satagere. Sensit adventum molestissimi hospitis, sed jam ab aliquo tempore nimis quam familiaris, calculi nimirum, & quem ille ciet doloris, cuius vexatus insultibus abstinere tum quidem confessu illo sanctissimo coactus est, ita tamen ut spem faceret Nobilissimo Collegio, à meridie se affore: Agerent interim reliqui, quod è justitiâ esse videretur. Et ibat, ut erat laborum & dolorum patientissimus, nisi & hujus & sequentis diei, quò aliquantum remisit dolor, quietem medici pariter & domestici exorassent. Sibi itaque & Deo suo ut viveret, constituit sequente Dominicam sacrae Synaxeos usu munire adversum fortuitos morbi impetus animum, quem eam fini præcedente Sabbatho humili confessione peccatorum, nimirum meminerat hominem se esse, in templo sanctæ Crucis expiavit. Sed reversum inde domum, & privatae pietati solitarioque vacaturum colloquio cum Deo acrior invasit dolor, tussisque & destillationes senile corpus tot fractum laboribus invadere cœperunt. Cumque appropinquante sequentis Dominicæ mane catarrhus etiam suffocativus accedere videretur, sacrosanctum corporis & sanguinis Dominici viaticum devotissimo suscepit affectu, & ab eo tempore ingravescente morbo Deo se su-

amque

amque subiecit voluntatem. Aderat morienti unâ cum plurimum Reverendo Dn. Superattendente D. CRISTOPHO BULÆO vir multis magnisque in Orthodoxam Ecclesiam meritis spectatus & summè venerandus Dn. D. JACOBUS WELLERUS, Serenissimi Saxonie Electoris Concionator aulicus & Consiliarius Ecclesiasticus, cui placidissimo ore: & vivere inquit & mori paratus sum, prout Deo visum fuerit. Poterat videri in mentem habuisse illud Beati Martini Episcopi Turonensis, quem & vivendi exæquavit, imò paulo superavit spatio; Domine si adhuc populo tuo necessarius sum, non recuso laborem, fiat voluntas tua. O virum, ut B. Sulpitii de Martino verba huc accommodem, ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum, qui in nullam se partem pronior inclinaverat, nec mori timuit, nec vivere recusavit. Ita plenus Deo, plenus fiducia meriti Christi, integris sensibus præsentibus viduâ liberisque & nepotibus in suam resolutus originem beatissimam animam exhalavit die XII. Kalend. Julii post quartam pomeridianam. Decesit superstitè uxore carissimâ, dulcissimisque liberis, quos in altissimo gloriæ culmine constitutos vidit & gavifus est, incolumi dignitate, famâ undiquâq; secundissimâ, publicis omnium lacrymis sequentibus comitantibusque, quod maximorum ipsius meritorum virtutumque illustrium, quibus ultra communem mortalium sortem evehctus fuit, verissimum testimonium est. Et ille quidem satis sibi, satis gloriæ suæ vixit, ætatisque spatium ad illum usque propagavit terminum, quem vix centesimus, imò vix millesimus quisque attingit. Reipublicæ autem huic ejusque supremo Reçtori Serenissimo Principi, provinciis hisce, adde & Clientibus suis vixit profecto parum, ut tanquam immaturam deflere mortem ejus necesse sit. Quanquam vix fas esse arbitror, mortem vocare, quâ tanti viri mortalitas magis finita quam vita est. Vivit enim vivetque semper, atque latius etiam in memoriâ hominum versabitur, postquam ab oculis recessit. Reliquit, quam venerentur, quam sequantur, quotquot reipublicæ se addixerunt, vitæ pulcerrimè actæ imaginem, unde sibi exemplum nostra posteritas capiat, quod suis rursus posteris tradat. Superant per Dei gratiam paterni nominis non minus quam virtutum & dignitatum hæredes, filii Perillustres & Generosissimi, superant in non minorem spem nati nepotes, quorum virtute & meritis factisque insignibus patris avi que gloriâ illustratur partim, partim illustrabitur. Itaque, quod unum superest, gratias agimus divino Numini, quod tantorum, quæ hisce per beatissimum Dominicæ Cancellarium contulit provinciis, bonorum usum tam diuturno nobis concesserit tempore, precamurque devotis precibus infinitam ejus bonitatem, ut Perillustribus & Generosissimis filiis Nepotibusque Patris & avi concedere annos aut etiam velit adaugere, ut istis adjutoribus pacem & tranquillitatem publicam tueri & conservare detur Serenissimo principi. Hujus salus cum nostra salus sit, te Deus Optime Maxime, auctor statorque Imperiorum, per quem Reges regnant, & principes decernunt justitiam, veneramur supplices, serva ac sospita PRINCIPEM nobis, serva familiam Saxoniam universam, illique functo mortalium statione longissimâ serum nec alium SUCCESSOREM suffice, quam quem jam dedit sanguinem suum, eumque continuat à descensione mundo præsta coævum. Bonum, felicem faustum ac fortunatum universis OPTIMI PRINCIPIS consiliis eventum adspira, ut sub ejus imperio felicissimo & maximè diuturno in florentissimo Reip. statu nos liberique nostri & si qua futura est posteritas vitam agamus quietam ac tranquillam in omni pietate & honestate.

D I X I.

FX 2b 2340

Handwritten Latin text, likely a letter or official document, written in a cursive script. The text is oriented upside down relative to the page's binding. It contains several lines of dense script, including what appears to be a signature or name at the bottom: "DIXI".

Handwritten signature or initials in blue ink, possibly reading "M" or "N".

F. K. 80. 7

Z 6
2340

X 2047347

BEATISSIMIS MA
 MEMORIAEQUE SEMPE
 REVERENDISSIMI, PERILL
 GENEROSISSIMI DO
 DNI. HEIN
 LIB. BAR. A Saxe
 DYNASTAE IN ROT
 SERENISSIMI ET P
 ELECTORIS SAXONIAE CO
 ET CANCELLARII, SUPREMI APPE
 PRÆSIDIS, ET CATHEDRA
 MARTISBURGENSIS PRÆPO
 SACRUM.
 DIXIT PUBLIC
 IN AUDIT. COLLEGGII MAJORIS
 MAJORI.
 III. NON. AUGUSTI M.
 CHRISTIAN FRIEDERICUS Saxe

LIPSIÆ,
 Typis JOHANNIS WIT

BIBLIOTHECA
 FONICKAV

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
 HALLE
 (SALLE)

